DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

De affectione hysterica:

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

Academiæ EDINBURGENÆ *Præfecti;*

NEC NON,

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,* & *nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA honoribus ac privilegiis ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum examini submittit,

THOMAS JARVIS, *Indo-Antiguanus,*

Ad Diem 5. Julii, horâ locoque solitis.



EDINBURGI: Apud T. W. & T. RUDDIMANNOS. M. DCC. XLIV.

Inclyto & excellentissimo VIRO,

GULIELMO MATTHEWS,

Copiarum Britannicarum in insulis Caribbæis Ductori; supremoque earundem insularum Præfecto:

Tum propter egregiam, quam apud omnes meritis suis consecutus est nominis famam; tum ob insignem, quâ me meosque complexus est, benevolentiam;

Hasce studiorum suorum primitias,

Grato lubentique animo,

D. D. D.

THO. JARVIS.



Dissertatio Medica,

De affectione hysterica.

HISTORIAS morborum dum Medici eleganter & nitidè orbi literato exhibere voluerunt, certas eorum conditiones, & ægrorum diatheses, quæ forsan elegantiæ sermonis, vel eorum praxi, incongruæ viderentur, penitus omiserunt. Haud sufficit, autumant, naturæ phænomena distinctè, ordinatim, & sedulò colligere; verùm eorum causas etiam expedire tentant: qui tamen ferè omnes, ex ignorantia physiologiæ corporis humani, vel amore jam stabilitæ hypotheseos capti, turpiter in errores inciderunt. Hinc tot volumina ingentia, balneorum focis perdigna, restant ad Medicinæ discipulos fallendos, nisi ii à peritis docti, vera bona à falsis dignoscere valeant. Videamus

mus itaque quantum inter ſe diſcrepent auctores, de ſtabiliendis morborum cauſis. Et quoniam conſilium eſt, paululum de affectionibus hyſtericis diſſerere, haud ineptum erit inquirere, quibus diverſis cauſis harum exordium attribuerint auctores. Antiquorum omnes originem mali in utero malè affecto exquiſiverunt, verùm omnes, de affectionum ratione, longè latéque diſſentiunt.

Hippocratis (*a*) ſententia eſt, " Uterum inanitum & reſic-" catum ex appetitu humidi, ſurſum, hepar versùs, intra ab-" domen ſe trudere." Galenus penitus oppoſitam hujus morbi cauſam tradit: vult ille uterum à plenitudine liquorum, vel vaporum, ſurſum intendi, quoniam aſcenſus globi in ventre inferiore ſemper mali comes eſt. Hiſce præclaris viris, medicinæ Patribus, conſenſere artis cultores omnes, ad ultimum elapſum ſeculum, quo tempore Medici, antiquorum auctoritates intueri & examinare auſi ſunt. Tunc temporis exſtitit clariſſimus Piſo, qui, diſſentiendo à veteribus, aliam conatus eſt inſtruere hypotheſin. Is ſtrenuè aſſerit, colluviem ſeroſam in cerebri vaſis hoſpitantem, originem huic malo præbere. Clariſſimus Williſius (*b*), effectus mali produci vult, " Ab ata-" xia in fluido nervoſo, ab acri quodam, unà cum ipſo li-" quore, nervos ingrediente, & ad partes certas determina-" taſque provecto, inimicum inferente bellum. Poſtquam, in-" quit, ſanguis particulas quaſdam ſpaſmodicas intra cerebrum " & cerebellum depoſuit, hæc materies circa nervorum origi-" nes collecta, ſcotomiam, vertiginem, epilepſiam, & plures " animalium functionum morbos inducit. Sin verò, acre il-" lud, ſeu ſpaſmodica materies in vaſa medullæ oblongatæ de-" labitur, tum convulſiones peſſimæ, pro ratione acris mate-" riei, exinde ſequuntur. Aliter habetur mali cauſa ab Higmoro tradita. Ipſa auctoris verba audiamus, " Cauſam itaque " continentem hujus ſtrangulationis, infarctionem ſanguinis " flatulenti,

(*a*) Morb. Mulier. lib. 1. Sect. V. p. 592.
(*b*) Williſ. p. 474.

" flatulenti, & serosi ebullientis in vasibus pulmonum & cor-
" dis, esse statuimus. Atque hoc non solùm testantur Medico-
" rum observationes, sed, mali historiâ examinatâ, nullam a-
" liam admittere queat hysterica hæc suffocatio." Plurima damna continet hæc hypothesis, & erga ægrarum sanitatem, & Medicorum famam; quis enim in suffocatione pulmonum ad venæ sectionem immediatè non se conferret? & iis utatur, quæcunque sanguinis & humorum fluxum ad pulmonum vasa impediunt, & humoribus, jam stagnaturis, liberum expediunt iter; qualia sunt semicupia, fotus tepidi, ad extrema cucurbitulæ, ingestio attenuantium, expectorantium, &c.

Highmorus ipse venæ sectionem celebrandam proposuit: at ob hanc rem meritò objurgatur à Willisio, qui affirmat se plurimos vidisse, laborantes suffocatione pulmonum, quorum nemo unquam hypocondriacus factus sit. Ille iterum de Highmori praxi conqueritur, quoniam plures vidisset fœminas hystericas præsectâ venâ in deterius ruere. Concludimus itaque aliam esse morbi causam expediendam. Sed Sylvius, strenuus sectæ chemicæ patronus, aliam morbi explicationem, v. g. ab effervescentia bilis cum succo pancreatico, suggerit. At olim refutatâ opinione de acri in sanguine spasmodico, æquè ac eâ de fermentativis liquoribus, inania fugiamus, & morbum jam memoratum, viz. hystericas affectiones, varia exhibentes phœnomena, quâ diligentiâ possumus, ad depingendas nosmet accingamus. Sed ut dilucidiùs appareat morbi causa, phænomena quæcunque separatim, utpote functiones varias læsas indicantia, consideranda sunt: hoc modo progrediendum à functionibus naturalibus ad vitales, denique ad animales labe correptas. His excussis, causas προηγουμένας & προκαταρκτικὰς narrare licebit: tum Theoriam morbi, symptomatibus & ægrarum diathesi consentaneam, ordine stabilire procedemus; denique cum methodo medendi finiemus.—

Symptomata secundum ordinem modò traditum, exhibere liceat. Inprimis medici, morbum jam præsentem, vel imminentem

nentem à caterva ſequentium dignoſcere queunt, viz. ab actionibus naturalibus læſis, ſi adſint laſſitudines ſpontaneæ, & ſenſus gravitatis ad exercitia; pica, malacia, nauſea, vomitiones materiei viridis, ructus, borborygmi, inflatio ventriculi, & inteſtinorum; oſcitatio & pandiculatio; aſcenſus globi ab inferiore abdominis; ptyaliſmus laticis tenuis; pallor lividitaſque cutis, præcipuè faciei; dolor profundus capitis, atque dolor ille externus memoratu dignus, quem perterebrationis inſtar habere, vel obicis vi maximâ in caput adacti, quaſi findendum eſſet, miſeræ credunt: interdum de ligaturis conqueruntur, molem capitis coarctantibus, dolores ſimilantibus, quales à faſciis & ligaminibus vi maximâ aſtrictis; dolores vagi per artus; cruciatus ille dorſalis, primò ſe ad ſcrobiculum cordis manifeſtans, ſubitò, mutato ſitu, muſculos oppoſitos, furore fere inflammatorio, lancinans; tendinum ſubſultus; reptationis animalium ſenſus ſub integumentis; urina colorata, fluens ſubitò præ violentis animi παθήματοις vel læſis vel mœſtis, in limpidiſſimam aquam converſa, quæ, quamprimum mens placidâ æqualitate gaudet, priſtinum colorem recuperat; extremorum frigus; odontalgia ſæviſſima.— 2*do*, A functionibus vitalibus malè affectis, pulſus parvus & exilis; reſpiratio crebra & difficilis; palpitatio cordis creberrima, denique aſcenſus globi per gulam.— 3*tio*, A læſis animæ functionibus, triſtitia, luctus, ſpirituum ſubſidentia, animi incertitudo, cogitationum fluctuatio, memoriæ lapſus, phantaſia perturbata, rerum quarumcumque extrà formido, amicorum ſuſpicio ne in ſe injurias faciant: denique, quod agmen ſymptomatum hujus crudelis Proteiformiſque morbi claudat, addendum reſtat ſpectaculum illud humano generi fœdiſſimum & percrudele, ſcil. ſubitanei immoderatique cachinni, in luctus fletuſque profuſos ſtatim converſi, ita miſeras viciſſim torquendo, donec apoplexia vel epilepſia ſuperveniens paroxyſmum terminat, ſæpe, mors inſida in agmine latet. Sæpe verò ab orci faucibus ereptæ (ni recrudeſcat paroxyſmus horrendus) ad vitam damnatæ, quam morboſam & habitudine obſeſſam ducere coguntur.

Horum

Horum explicationem ſine mora expedire conemur. I. Laſſitudine ſpontaneâ, & ſenſu gravedinis ad exercitia, afficiuntur fœminæ, quando humores, quæcunque ſit cauſa, pigri ac torpidi facti, canales tardè percurrentes, officiorum obliti, menti ſenſum illum ingratum communicant: illos quamprimum movere vult mens, motum cordi impertit; acceleratur exinde velocitas humorum circulantium; quare cerebrum, plus juſto compreſſum, ſenſorio communi hanc gravedinis ideam exhibet.

II. Picam, malaciam, nauſeas & vomitiones conſideremus. Una ex hiſce ſemper hyſtericis, per totum mali decurſum, comes cæteris adeſt. Facilè exploranti patet, quòd viſcus talia exponens phænomena malè ſe habeat, viz. ventriculus, officina totius corporis, vel humores pravos hoſpitans, vel adeò debilitatus, ut ex ingeſtis chylum nutritivum elicere nequeat. Hinc picæ fons, ab acido in ventriculo latitante, appetentis cibi varii, & eduliorum vilium, haud nutrientium; frequenter enim picâ laborantes fructus immaturos, cineres, cretam, arenam, & cætera id genus, maxima cum ſuavitate & delectamento devorant. Verùm malacia, nauſea & vomitio penitus eidem referenda cauſæ, ſcil. humoribus craſſis, pituitoſiſque in ventriculo commorantibus. Natura, per varias haſce vias, ſaluti conſulens, corpus faſtidioſo onere purgare inſtituit, viz. cibum reſpuendo, ne moles maſſæ heterogeneæ in ventriculo commorante creſcat; dein niſum ad vomitionem ſolùm inferendo, ut modos juſtos pro ægræ ſalute recuperanda, inveſtiget: denique, propter humorum quantitatem, motus turbulentos faciendo, natura liquores tumultuoſos è ſinu rejiciendos dijudicat.

III. Ructibus, borborygmis & flatibus concedunt proſtratæ vires ventriculi & inteſtinorum; vicina inde damnum capiunt, quòd ingeſta, tam animalia quàm vegetabilia, plurimum aëris inter ſe continentia, devictâ jam naturâ, in bonum alimentum converti nequeant; calore tamen ſtomachi & proximorum fotu, putredinem ſeu corruptionem generare incipiunt: aër quoque calore expanſilis, ruptis repagulis, in molem immenſam, pro caloris gradu & laxitate partium coërcentium, creſcit &

expanditur. Hinc inflationes ventriculi & intestinorum. Occluso stomacho, aër expansilis, magno cum fremitu, reserare portas certat: neque inaniter; rumpit enim per os superius, volitantia acida secum rapiens, aut nidorosas partes aëri conjunctas. Quum verò talis est intestinorum inflatio, vasa sanguifera, tunicas perreptantia, comprimens; sistitur ejus motus progressivus, & ibi accumulari, vel vasa serosa intrare oportet: si in vasis majoribus stagnet, vel globuli rubri vasa serosa ingrediantur, inflammatio inde oritur; hinc tam frequens ilei causa.

IV. Pallor lividitasque cutis digestionem pravam & depauperatum sanguinem comitantur: absentiæ sanguinis rubri succedit cutis albedo.

V. Oscitationem & pandiculationem intendit natura sagax, ad humoribus torpidè & lentè fluentibus stimulum & motum celeriorem conciliandum: tum temporis ferè omnes in corpore musculos contrahit, ut ab illorum actibus in vasa humores ferentibus ultimos circulationis terminos faciliùs attingant.

VI. De ascensu globi frequens est mulierum querela, sed quot ægræ, tot ejus varii ortus, nunc ad dextram, nunc ad lævam; mox superiùs, dein inferiùs, ne plura dicam, fingunt illius ortum ad omnia quasi abdominis puncta; & mirandum, quòd veteres, sagacitate præstantes, motum ascendenti utero attribuerint: causam ferè eandem, quam modò de ileo memoravimus, viz. spasmodicam contractionem intestinorum, agnoscit, dum aër inter intestinorum plicas compressus, elasticitate suâ renititur, & mentem specie rotundi fallit.

VII. Ptyalismus laticis tenuioris, haud sanè à salivatione mercuriali differt, nisi à causis procatarticis; in utrisque his morbis dissolvitur sanguinis crasis, excretiones aliæ naturales minuuntur, solida denique relaxantur, & quoniam glandulæ salivales minùs à corde distant, & major humorum copia sursum, cæteris paribus, quàm ad alias corporis partes fertur, addi liceat arterias debilitatas humores plenos per totum vasorum circulum ferre non posse; quare ad vasa lateralia secedere cogentur. Si salivatio

tio

tio sistatur, Odontalgia, vel secretiones ad renes copiosæ superveniunt.

VIII. Dolor profundus capitis exordium quærit à colluvie serosa hostiliter cerebrum infestante: ac dolor perterebrationis instar, cum viridis vomitione materiei junctus, clavus hystericus nominatus, sympatheticus est evomenti ventriculo, vel à spasmis vasorum minimorum, scil. & arteriarum & nervorum, duræ matris & pericranii. Sævit frequens dira cephalalgia absque vomendi conatu: quæ fit ab obstructione arteriarum intra cerebri molem & nervorum plicas involutarum. Hinc comprimitur fluxus nervosi fluidi, tum regurgitat & sensorio astrictionis ideam offert. Interdum ab acri vel phlegmate in ventriculo latitante oritur.

IX. Aures enim resolutæ tinnitus percipiunt, tuba Eustachiana in oris cavitatem hians, laxior reddita faciliùs introitum aëri externo, & pulmones linquenti, cedit; hinc major & constans aëris accessus per auris latebras in tympanam mollem & laxatam: sed vires molli auri desunt expansum aërem ex cavis pellere, fremet ergo cum murmure vasto, instar magni maris, dum littora verberat undis.

X. Phænomena sævi rheumatismi induens, dolores vagos ad artus & ad lumbos parit; qui sæpiùs Medicorum aciem, nisi plura adsunt signa, uni seu alteri propria, fallunt. Hinc tot damna miseris hystericis, fallente signo, superveniunt: medicastri enim pro axiomate habent, ubicunque sit dolor quivis acutus, ibi semper inflammationem sævire: itaque pro aris & focis certant inflammationem fictam solvere, quem in finem venas pertundunt, sanguinem copiosum sinunt ad remissionem dolorum fluere; tunc credunt, remisso dolore, morbum debellari. Inanis est agyrtarum spes; ægrotæ enim nunquam sic convalescent statim in lipothymias, convulsiones, vel mortem ipsam celerrimo currere pede properant. Dolores illi haud ad inflammationem, verùm potiùs ad spiraculorum cutis constrictionem, & ad spasmos nervorum hæc loca petentium, pertinent: ideóque patet quàm contra bonam praxin offendat, qui, quando æquabilis humorum distributio ad sanitatem recuperandam

dam

dam requiritur, tum temporis venam secando sanguini copioso exitum sollicitat.

XI. Tendinum subsultus & animalium reptantium sensus sub integumentis ab una eademque causa, viz. lento & inæquali fluxu fluidi nervosi in fibrarum vasa minima, explorandi sunt. Dum fibra una vel altera fluidum subtile accipit, contrahitur statim; at antagonista paralysin patitur. Quando verò vasa ea minima fluidis ferè orbata jamjam humores erraticos acceptura, vires haud nisi per violentas contractiones absque impedimento altiùs propellere valent: præterea à nimia subitanea vasorum distentione convellentur latera, humorque fluens sistetur; mox resolvuntur latera, humores fluunt, donec iterum impediuntur, & mutua est vasorum contractio & humorum impedimentum usque ad canalis terminum. Ad hæc, in imperio suo transacta, Natura sedulò mentem suam intendit, sed perceptione, animalium motibus persimili, decepta, facilè sibi persuadet animalia intra cutem reptare.

XII. Urina crassa colorata fluens nictu oculi, tenuissimæ instar lymphæ, ab ægris defluit: hoc signum unicum pathognomonicum hujus mali habetur, sed commune ei cum epilepsia & pluribus aliis. Mens sana in sano corpore, dum irascitur, vel timet, organa corporea rite gubernare nequit; verùm in hysterico corpore, fragili & caduco, cum mente imbecilla & fluctuante, mirandum non est, tam fragilem truncum rudioribus animæ motibus succumbere; & humores malè per canales fluere, & spasmos hinc inde generare. Si verò spasmus arteriolas uriniferas occupet, urinæ tenuissimæ pars percolatur, fæces crassiores residuæ intra vasa manent. Quamprimum spasmus seu motus fluidorum menti inobediens sistitur, vel denique vasa inanita replentur, arteriæ solitas assumentes diametros urinam salubrem inde demittere incipiunt; quamdiu mens æqua manet, tamdiu urina colorata fluit; vesica quoque spasmodica fit, & calculi illic siti doloris speciem præ se fert. Nonnunquam ureteres astringuntur, & calculum seu arenam ex pelvi cadentem exquirunt inexperti medicastri.

XIII. De

XIII. De extremorum refrigeratione frequenter conqueruntur hystericæ: & ſanè adeò illæ frigeſcunt, ut ſæpiùs, credo, in terram vivæ defoſſæ ſint, quæ vitam debitam non perſolvêre, corporibus plus mortuorum quàm vivorum formam ferentibus. Narrant enim autores, vidiſſe ſe fœminas, 3, 4, ad 7, uſque diem proſtratas, abſque ullo adſtantis vitæ ſigno jacentes; ſed hoc rariùs, & pro monito habeatur, quòd corpora hysterica non eo tempore, quo febrem forſan acutam perpeſſa, tumulo dari debeant: quanquam enim hoc ſymptoma indicat corporis imbecillitatem, & ferè ſtagnationem univerſam, attamen nimis præceps foret concluſio, mortem adeſſe. Quid memoremus hirundines? quid glires? & cætera animalia dormientia.

XIV. Odontalgia ſæviſſima angoribus ſuis crebrò miſerandas hystericas vexat; dentem hunc, nunc illum, mox totam maxillam, figit; nunc periodica, nunc conſtans, nunc vagos dolores ciet: cauſa ejus in colluvie ſeroſa, oris cavitatem nimis replente, ſeu motu convulſivo & arteriarum & nervorum dentibus ſuppeditantium, ſeu langueſcente humoris nervoſi motu; nam memorabile dictu, evulſionem dentis dolores haud ſedare: ſed contrà, dentem ei proximum infeſtant, & violento furore ſternit animi pacem, cum ſtimulantia & quæ ſanguini inæqualiter diſtributo motum æquabilem conciliant, dolores ſolvunt.

A functionibus vitalibus malè affectis, & primò, pulſu parvo & exili. En circulum mirum in humano corpore! Qualis inſtituendus eſt fons motuum? an cor, quod vitalem cruorem continuè, in viſcera & alias partes nutriendas, mittit? an ventriculus, & inſtrumenta chylifactionis potiùs, quæ alimentum ipſi ſanguini ſuppeditant? vel denique liquidum nervoſum, à ſanguine ſecretum, actionem tribuendo ambobus præcedentibus? Sanè difficile problema, & creatoris perſpicuitate indiget nodum ſolvere. Verùm tria unione ſtrictâ conjuncta læſionem ſingularem capere non poſſunt; dum verò ventriculus labefactatus cruditates & indigeſta vice alimenti boni parit, ſanguis ex talibus confectus, functionibus ſibi propriis

impar est; hinc tam frequens vacillatio pulsuum, &, quum defraudetur refectione novâ, depauperatus sanguis indies labascit. Præterea hîc memorare liceat, humorum mobilitatem, & aptitudinem in majus distendi; hinc, ob varios caloris & frigoris gradus, mentisque concitatiores vel tardiores motus, humores mirè afficiuntur; dum enim datur illis hilaritate frui, pulsus plenus, æqualis rhythmum servat, venæ distenduntur, & cætera sanæ instar; ingravescente paroxysmo, dum, mente alienâ corpori, omnia in ruinam tendunt, venæ detumescunt, humores contrahuntur, pulsus parvus, inæqualis frequenter intermittit.

Respiratione crebrâ & difficili immaniter plectuntur miseræ, ita ut sæpiùs, ab imo pectore, voluerint dissecta sororum fila. Videmus in hoc malo sub debilitate totius ferè compagis, & torpore totiùs massæ humorum, laborare. Vix itaque expectandum quin pulmones labe universali afficiantur, scilicet humores tardè arteriolas perreptantes suffocationis metum inducunt, quamobrem naturæ obedientes, quòd magis liberum & expeditum iter humoribus concedatur, inspirationem, corpore erecto & cervice extensâ, ducunt. Porrò frequens est spasmodica laryngis musculorum, ipsius tracheæ arteriæ, denique bronchiorum contractio, iter per canales impediens.

Jam de celebri mali phænomeno agendum, palpitatione cordis; & in limine notemus, vires ægrotarum, dum de hoc conqueruntur, admodum lapsas esse, ut vix per horas duas continuas liberæ quiescant, sæpiùs in lipothymias incidunt, sudorque gelidus superveniens paroxysmum solvit; humores quoque hysterici, quòd magis mobiles & expansiles sint, motu quocunque mentis sive corporis turbati, effrenati, quo cedunt vasa, percurrunt; sed ob motum fluxûs nervosi inæqualem parcumque, & ob mentem corpore alienatam, contrahentur & vasa externa, & ea longiùs à cerebro, cordeque sita; quâ ratione inanientur hæc, dum illâ quantitate peccabunt; refluet enim sanguis per tubulos omnes, donec suffunduntur cor & pulmones. Initio verò palpitabit cor, i. e. sæpiùs solito systolen & diastolen patietur, ut prætrudantur humores iniqui,

ne

ne penitus suffocetur, & cætera corporis organa nutrimento fraudentur debito: tum quoque accedit anxietas.

A læsis animæ functionibus cætera sequuntur phænomena; qualia, tristitia, luctus, spirituum subsidentia, animi incertitudo, cogitationum fluctuatio, memoriæ lapsus, phantasia perturbata, rerum quarumcunque extrà formido, amicorum suspicio, ne sibi injurias inferant; denique subitaneæ fletûs & gaudii vicissitudines, in diram apoplexiam, & epilepsiam desinentes. Animæ perturbatæ causas immediatas mortalium perscrutationibus attingere non datur, & nefas inquisitiones nostras, altiùs quàm ad effectus pervehere. De abolitione sensuum omnes ferè in una eademque sententia versari videntur autores; attribuunt enim sensûs læsionem cerebro compresso, vel 1. A sanguine, aut liquore alio in arteriis, sinubus, intra duram & piam matrem, intra piam & cerebrum, & intra duram & cranium, vel intra venas jugulares, coërcito. 2. A cranio depresso, cerebri substantiam & molem minuente. 3. A quantitate pituitæ, vel lentore humorum, cerebri vasa refarciente. 4. Ab acri quocunque, cerebrum & cerebellum, vel eorum vasa, vellicando & pungendo. A jam memoratis causis, in cerebrum, varios compressionis gradus inducentibus, & diversas partes inde comprimentibus, sequi volunt autores omnia hujus organi damna; scil. in apoplexia sistitur omnis, præter vitalem, motus, & sensorium commune deletur. Verùm, dum par vagum fluxu vitali reficitur, cor & pulmones ab officiis non descirent; sed ob impeditum motum in nervis extrema quærentibus, forsan copiosior in cerebello secernitur liquor, tum cor & pulmones fortiùs & crebriùs munere fungentur.

Si causas apoplexiæ nemo respuat, facilius est rationem reddere, cur frequenter hystericis supervenit epilepsia. Clarè constat, epilepsiam acquisitam paroxysmis hystericis non esse valde dissimilem; atque ab una eademque causa ambos gigni posse. Carolus Piso nobis plures observationes mulierum, & hystericarum, & epilepticarum, eidem causæ succumbentium, tradidit, scil. colluviei serosæ cerebri vasa infarcienti ad nervorum contractionem,

nem sensibus naturalibus opitulantium, seu refectionem novam organis motoriis afferentium: & clarâ luce patet, ex aliorum observationibus, fœminas hystericas, morte correptas, exhibuisse, capitibus dissectis, cerebra multâ aquâ referta. Hinc colligere licebit, in paroxysmo hysterico, epilepsiæ æmulo, origines nervorum voluntatis officio inservientium, adeò præ debilitate labefactatas, ut motum æqualem fluxui nervoso conciliare nequeant. Porrò si vires cordi deficiant, ad humores per minima vasa propellendos, ii stagnabunt, & apoplexia mortifera præsto aderit.

Excussis jam morbi symptomatibus, proximum est ut causas, quæ hunc morbum generant, exponamus. Sed ordo referre jubet, quæ mulieres huic affectioni hystericæ magis obnoxiæ sint, & à quibus fontibus oriri soleat malum. Imprimis eæ tenerâ & laxâ cute gaudentes, forsitan hæreditariâ labe vitiatæ; quæ, vitæ pigræ, otiosæ, attamen crapulæ & sorbitionibus theæ, coffeæque, (siccis Asiaticis aptioribus) plus nimium indulgentes: & gravioribus detritæ curis acies cerebri corporisque vigorem obtundunt, nam, in his, mente voluptatibus deditâ, corporis refectio negligitur. Earum evacuationes solennes plus justo fluunt, aut obstipantur, scil. à retentione seminis, dum puellæ, præ sæva peccatorum castigatione, salubres virorum amplexus fugientes, in domos religiosas sese occludunt; à retentione sanguinis periodici, vel immodico ejus fluxu, à fluore albo, lochiorum & hæmorrhoidum fluxu ingenti; hæmorrhagiâve quâcunque vires pessundante; ab evacuationibus nimiis per alvum, sudores, &c. à cachexia assumptionem mercurii frequenter sequente: nonnunquam à mala febris judicatione.

Observata pauca de affectionibus hystericis sequuntur, viz.

1. Sanguis è vena missus, frequenter serosus, vapidus, placentâ rarâ præditus, sanguine sano magis mobilis, adeoque magis expansilis.

2. Fibræ hystericarum laxiores atque debiliores, quam bonâ

sani-

ſanitate fruentium; proinde ventriculus, unà cum inteſtinis, officia ſua non lætè præſtabunt.

3. Si viſcera chylopoietica vitiata, ingeſta in bonum nutrimentum concoquere nequeunt, chylus erit morbidus, & dotes vegetabiles in ſanguinem feret.

4. Si chylus ſanguini commiſcendus, crudus & indigeſtus ſit, depauperabitur ſanguis, ſecretiones juſtas atque debitas nullas pariet: hinc pravi humores, hinc ſolidorum tonus labefactatus.

5. Quoniam ſanguinis boni rubrique præparatio eſt ultimus actionum naturalium effectus, talis quippe theſaurus eſt omnium quotquot in corpore humorum: eo jam depravato, aut in laticem ſeroſum vapidumque converſo, turbari imminuique debet ſpirituum, ſive animalium, ſive vitalium, in cerebro aut cerebello ſecretio: unde neceſſariò ſequetur functionum, quæ ab his pendent, læſio multiplex; ſed ob parciorem ſecretionem, quàm quæ ad ſanitatem requiritur, inanientur vaſa: tum, uti Hippocrates dicit, ſequuntur convulſio, ſingultus, atque forſan plures id genus morbi.

6. Si verò corpus incrementum & nutrimentum in vaſculis minimis capiat, ſed ſecretiones naturales debitæ ad ea replenda & nutrienda deſint; fatiſcent vires, collabentur latera, & mutuò inter ſe coaleſcent: hinc atrophia & paralyſis.

7. Omnibus quibuſcunque patet actio mentis in corporis organa, ad motus incitandos & eos inceptos ſiſtendos; adeoque quanta vis ei ſit morbos producendi, luculenter & praxi quotidianâ & antiquorum obſervationibus manifeſtatur. Verùm conſtat mentem plus valere in corpore effœto, à morbo aliquo chronico, uti chloroſi, paralyſi, &c. quàm in vegeto & robuſto corpore. Sed in robuſto & alacri corpore æquilibrium juſtum eſt inter fluida bona & ſolida elaſtica, inter corporis vires & animæ pathemata; ut ejus tumultuoſis jactationibus multum reſiſtere queant ſolidorum vires: at in hyſtericis corporibus, quorum vires olim diſperduntur, ſolida relaxata ſævioribus animæ motibus oppugnare non poſſunt; ſæviet er-

D ergo

go morbus, seu potiùs paroxysmus, dum spiritus animales fluere valent. Plura jam de mentis potentia in corpus dicere haud opus erit.

Ex prædictis igitur patet, causas hujus mali proëgoumenas esse cachexiam, seu humorum pravitatem, in pituitam & humores aquosos vergentem: causas autem procatarcticas esse, abusum in non-naturalibus, præcipuè vitam desidiosam, prænimiam coffeæ theæque ingurgitationem, & inordinatas animæ inquietudines. Si aliquis à nobis quæreret, qualis sit morbi causa proxima, non hæsitans responderem, vapiditatem humorum, canaliculorum inanitionem, & solidorum minorum resolutionem. Forsan objicietur, plures fœminas rudiores animæ jactationes passas, hystericas factas fuisse absque morbo præcedente; quare causas suprà memoratas futiles omnes esse. At notandum est, quòd mulieres hæ labe hâc malevolâ affectæ, antea quàm graviores animæ motus patiebantur, debiliore & teneriore corporis habitu, ad morbum inclinante, gaudebant; jamque subito terrore perculsæ, vel mœstum quoddam menti objectum revolventes, nimiùmque luctui indulgentes, dissipatis exinde spiritibus, & animalibus & vitalibus, alimentum bonum atque nutritivum ferè omne respuunt. Hinc ventriculus debilitatus, & cætera phænomena continuâ serie consequuntur: mentis ideo effectus in corpus meritò haberi possunt causæ procatarcticæ, sed immeritò causæ ejus proximæ.

Ad ultimum theseos scopum perventum est, ut nempe de methodo medendi agamus. 1*mo*, Indicat causa proxima, humorum pravorum in blandas naturales dotes mutationem. 2*do*, Canaliculos de novo impleri. 3*tio*, Robore redintegranda solida. Quoniam igitur frequens saburra, ventriculi & intestinorum hospes, tunicas oblinendo, nutrimentum & refectionem, præterea vasa lactifera obturando, ingressum absorptionemve chyli impediat; exhibenda sunt vomitoria & cathartica stomachica; post operationem, placidam quietem, noctesque soporas secum ferens, opium ægræ capiant. Ad corroborandum ventriculum sit cura Medici: hoc opus, hic labor! Si ea vo-

tis

tis Medici respondeat, sanitatem ex omni parte beatam sperare possumus. Si morbus pertinax malè cedat, medicus prædicat ejus durationi supervenire phthisin: verùm ne obsidenti malo cedat salutiferum deorum inventum, tentet imprimis artis cultor solamen debili ventriculo ex sequentibus conferre, viz. Aromaticis gratis, cinnamom. nuce moschatâ, zinzib. caryophyl. cortice aurantior. & granator. seminibus anisi, coriandri, & id genus pluribus. Sed quæ palmam facilè cæteris præripiunt, dotibus efficacissimis prædita, sunt vinum Maderense, rubrum, opium, & cortex Peruvianus. An valebunt medicamenta per se tentata, absque organorum motibus, morbum penitus radicitus extirpare? Credat Judæus Apella; è contrario unicum memorandum exemplum, quòd fœminæ imbecilles, à musculorum motu, absque viribus medicamentorum, à labe hâc teterrima immunes convaluerint, nobis absque lucerna monstrat viam, quam ingrediendum sit, ad sanitatem restaurandam. Quantum emolumenti hominum corporibus à ludis gymnasticis accreverit, docent antiquorum libri. Quæ mala, robustæ Laconiæ? quæ infantis Romæ? quæ Helvetiæ? quæ ipsius antiquæ Britanniæ, filias? dum populus frugi castusque fuit, tam crudeliter divexabant. Verùm cum divitiis & epulis nascuntur fœda monstra, quæ terreant gentes, ne de tramite bono flectant. Quid plura de exercitio corporis? De mentis exercitatione, sic verba fatur celeberrimus Baconus (*a*), " Mens & consuetis delectatur & novis, mirum autem in modum facit ad " conservandum vigorem spirituum, ut nec consuetis utamur ad " satietatem, nec novis ante appetitum vividum & strenuum. " Itaque & consuetudines abrumpendæ sunt judicio quodam " & curâ, antequam perveniant ad fastidium; & appetitus ad " nova ad tempus cohibendus, donec fiat fortior & alacrior. " Atque insuper vita, quoad fieri potest, ita instituenda, ut multas & varias habeat redintegrationes, neque per-

" petuò

(*a*) Bacon. de vit. & mort. p. 153.

" petuò in iisdem versando spiritus torpeant." Non ab re alienum erit hìc loci pauca, quæ experientia docuit, nervis blanda, & quæ ad fluorem humoribus æqualem redintegrandum aptè designata sunt, dicere; qualia, gummi fœtida, castoreum, succinum, rad. Valer. & plura alia *nervina* dicta. Si morbus improbus in paralysin partium quarumcunque degeneret, vesicatoria acria, sinapismi & similia stimulantia internè & topicè, nonnunquam vellicatio cum urticis juvant. Quid ad diætam spectet, paucis dicemus. Victus omnis debet esse succi boni, nutrimenti plenus, uti sunt, lac fœmininum, caprinum, asininum, ova, jura carnium, cinaræ, carnes bonæ facilisque digestionis, uti perdices, pulli gallinacei, aves phasianæ, aliæque ejusmodi è volucrum genere: verùm semper in memoria tenendum Hippocratis effatum (*a*), " Quæ longo tempore extenu-" antur corpora, lentè reficere oportere.

(*a*) Aphoris. 7. Sect. 2.

F I N I S.

